
EXCERPT · SYSTEMA NATURÆ · LEIDEN, 1735

Caroli Linnæi Regnum Animale

Carl Linnaeus

Systema Naturæ, sive Regna Tria Naturæ Systematice Proposita per Classes, Ordines, Genera, & Species, Leiden, Theodor Haak, 1735



The table Regnum Animale of the first edition, its two pages joined.

I. QUADRUPEDIA.

Corpus hirsutum. *Pedes* quatuor. *Feminæ* viviparæ, lactiferæ.

II. AVES.

Corpus plumosum. *Alæ* duæ. *Pedes* duo. *Rostrum* osseum. *Feminæ* oviparæ.

III. AMPHIBIA.

Corpus nudum, vel squamosum. *Dentes molares* nulli: *reliqui* semper. *Pinnæ* nullæ.

IV. PISCES.

Corpus apodum, pinnis veris instructum, nudum, vel squamosum.

V. INSECTA.

Corpus crusta ossea cutis loco tectum. *Caput* antennis instructum.

VI. VERMES.

Corporis *Musculi* ab una parte basi cuidam solidæ affixi.

PARADOXA.

Hydra corpore anguino, pedibus duobus, collis septem, & totidem capitibus, alarum expers, asservatur Hamburgi, similitudinem referens Hydræ Apocalypticæ à S. Joanne Cap. xii. & xiii. descriptæ. Eaque tanquam veri animalis speciem plurimis præbuit, sed falso. Natura sibi semper similis plura capita in uno corpore nunquam produxit naturaliter. Fraudem & artificium, cum Ipsi vidimus, dentes Ferino-mustelini, ab Amphibiorum dentibus diversi, facillime detexerunt.

Rana-Piscis s. Ranæ in Piscem Metamorphosis valdè paradoxa est, quum Natura mutationem Generis unius in aliam diversæ Classis non admittat. Ranæ, ut Amphibia omnia, pulmonibus gaudent & ossibus spinosis. Pisces spinosi, loco pulmonum, branchiis instruuntur. Ergo legi Naturæ contraria foret hæc mutatio. Si enim piscis hic instructus est branchiis, erit diversus à Rana & Amphibiis. Si verò pulmones, erit Lacerta: nam toto cælo à Chondropterygiis & Plagiuris differt.

Monoceros *Veterum*, corpore equino, pedibus ferinis; cornu recto, longo, spiraliter intorto, Pictorum figmentum est. Monodon *Artedi* ejusmodi cornu gerit, cæteris verò partibus multum differt.

Pelecanus rostro vulnus infligens femori suo, ut emanante sanguine sitim pullorum levet, fabulosè ab Iisdem traditur. Ansam fabulæ dedit saccus sub gula pendulus.

Satyrus caudatus, hirsutus, barbatus, humanum referens corpus, gesticulationibus valde deditus, salacissimus, Simiæ species est, si unquam aliquis visus fuit. *Homines* quoque *Caudati*, de quibus recentiores peregrinatores multa narrant, ejusdem generis sunt.

Borometz s. Agnus Scythicus plantis accensetur, & agno adsimilatur; cui caulis alterius plantæ è terra erumpens umbilicum intrat; idemque sanguine præditus à feris devorari temerè dicitur. Est autem artificiose ex radicibus Filicinis Americanis compositus. Naturaliter autem est *Embryo Ovis* allegoricè descriptus, qui omnia data habet attributa.

Phoenix, Avis species, cujus unicum in mundo individuum, & quæ decrepita ex ferali busto, quod sibi ex aromatibus struxerat, repuerascere fabulosè fertur, felicem subitura prioris vitæ periodum. Est verò Palma Dactylifera. vid. *Kæmpf.*

Bernicla s. Anser Scoticus & Concha Anatifera è lignis putridis in mare abjectis nasci à Veteribus creditur. Sed fucum imposuit *Lepas* interaneis suis penniformibus, & modo adhærendi, quasi verus ille anser *Bernicla* inde oriretur.

Draco corpore anguino, duobus pedibus, duabus alis, Vespertilionis instar, est *Lacerta alata*, vel *Raja* per artem monstrose ficta, & siccata.

Automa Mortis Horologii minimi sonitum edens in parietibus, est *Pediculus pulsatorius* dictus, qui ligna perforat, eaque inhabitat.

Table: Carl Linnaeus, 1735. Public domain. Scan of the copy of the U.S. National Agricultural Library, on the Internet Archive.

Below the table, its six class headings and its Paradoxa, transcribed from the same scan.

archive.org/details/Cat31011605